

HISTORIÆ ROMULI

PROOEMIUM.



Taliā aureo seculo cœpisse, sub Principibus Diis, Jano Camese, & Saturno, (à quibus etiam modò Janicula, modò Camesena, modò Saturnia; à Gentilibus verò Saleombrona dicitur) Gente Phœnīce & Sagā, quæ post inundationem terrarum, prima per orbem coloniās miserit, autor est *M. Porcius Cato in fragm. Orig.*

p. m. 7. § 9. Consentit *Q. Fabius Pictor*, qui *lib. 1. p. m. 68.* Imperium Italiæ in aureo Seculo ad Janum refert, sed cultores terræ indigitat Thuscōs; quamvis ille *pag. 70.* quoque scribat, circa finem aurei seculi, primum omnium Ninum, Regem Assyriorum, bella finitimis movisse, & totius Asiae populos perdomuisse, sub quo etiam Camesen præfectum fuisse Aboriginibus. Et paulopost; *Frementibus undique contra se armis*, *toto prius pererrato orbe*, *Saturnus ad Janum se contulit*. Eum *comi hospitio Janus receptum Latio & Aboriginibus præfecit*. Verūm, uti de primis Italiæ incolis maximè dissentiant Autores, aliis Tyrrhenos fuisse, credentibus, (*Myrsilo Lesbio de Orig. Ital. autore*, qui expresse scribit: *Tyrrheni se solos indigenas in Italia existimant, atque à vetustissimi Dei sui, quem Janum Vadymona vocant, filio Razenua nominant.* - - Producunt quoque suæ vetustatis vestigia multa, ut Deos, ritus, mores, literas, leges. *Quæ profecto omnia congruunt his, quæ probatores Græci Historici tradunt*. Scribunt enim solos Tyrrhenos in Italia vetustissimos esse, qui neque ab aliis pendent origine, neque ut cæteri conveniæ & adveniæ, sed propriæ regione esse oriundos.) Aliis Aborigines primos Italiæ cultores fuisse, statuentibus, utpote qui propter antiquitatem, & quod in regione suâ genuinâ, absque origine, & veluti è terrâ nati h. e. indigenæ fuerint, dicti sint Aborigines & αὐτοχθόνες: Cum quibus plures conveniunt, quām cum Myrsilo in Tyrrhenis. *V. Justinus lib. 43. cap. 1. §. 3. Diodorus Halicarnasseus, qui fusè de his agit lib. 1. Antiqu. Rom. cap. 9. 10, 11, 12, 13, 14. seq.* Ita ex adverso ferè omnes, tam Græci, quam Latinī Scriptores consentiunt, primum in Italia, & quidem apud hos Aborigines,